

De pulsu intermittente ... / ad publicum examen defert Andreas Wåhlin.

Contributors

Wåhlin, Anders, 1731-1797.
Linné, Carl von, 1707-1778.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Excud. L.M. Höjer ..., [1756]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x933ua6n>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. D.
DISSERTATIO MEDICA,
DE
PULSU
INTERMITTENTE,

QUAM,
CONSENSU EXPERIENTISS. FACULT. MED.
UPSALIENS.

Sub AUSPICIO

VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI

DN. DOCT. CAROLI
LINNÆI,

EQUIT. DE STELLA POLARI, ARCHIATR.
REG. MED. ET BOTAN. PROFESS. ACAD. UPS. HOL-
MIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL. LONDIN.
MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,

PRO GRADU DOCTORIS

AD PUBLICUM EXAMEN DEFERT

ANDREAS WÄHLIN,
OSTRO-GOTHUS.

IN AUD. CAROL. MAJ. D. V. MAJI, ANN. MDCCLVI.
Horis ante & post meridiem solitis.

XX
UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

REGII COLLE
PRÆSIDI,
NOBILISSIMO ATQUE

D^N. DOCT. ABRAHAMO

NEC

ASSESSO

NOBILISSIMIS ET

Dⁿ. DOCT. MARTINO REEF,

S:Æ R:Æ M:TIS MED. Ord.

Dⁿ. DOCT. ZACH. STRANDBERG,

PHYS. Civitat. Stockhol n.

Dⁿ. DOCT. JOHAN. BERGSTRAHL,

MED. ad Claſſ. Reg. Stockholm.

PATRONIS HO

*D*issertationem hancce Medicam, sola offe
interpretationis & futura gratia, cum

AU

GII MEDICI,
ARCHIATRO,
CELEBERRIMO,

B Æ C K,

NON

RIBUS

EXPERIENTISSIMIS

Dn. Doct. WILH. KAMMECKER,

MED. AULIC. Reg. Coll. Med. SYNDIC.

Dn. Doct. ERICO ELF,

PROF. Artis Obstetr. INTEND. Nosoc. Stockholm.

Dn. Doct. JOH. ANDR. DARELIO,

PRACT. Stockholm.

NORATISSIMIS.

*rentis pietate æstimandam, in spem benignæ
perennaturæ felicitatis voto, D. D. D.*

CTOR.

VIRO *Plurim. Reverendo atque Præclarissimo,*
D_N. MAG. P E T R O
W Ä H L I N,
PASTORI in Scabersjö vigilantissimo,
PATRUI INDULGENTISSIMO.

Animum quoties subit suavissima, Patruæ Honoratissime, in me amoris recordatio, dolet pia mens, opportunam sibi semper defuisse occasionem, suam venerationem quodammodo testatam reddendi. Sed, quamquam recenti memoria Tua uberrime in me collata servo beneficia; animum tamen fallit dicendi facultas, quæ, utcunque instructa in tot tantisque prolixi favoris documentis percensendis, non potest non omnem suam perdere vim. Ad verba itaque, quæ sat idonea reperiri nequeunt, ne adtendas, Patruæ Honoratissime, humillimus oro quæsoque, verum cordis potius respicias integritatem. Sitque in certissimum observantiæ & amoris pignus, leve hocce munus chartaceum, quod cum omnigenæ prosperitatis adpreccatione Tibi offert

PLUR. REVEREND. ATQUE PRÆCLARISSIMI
NOMINIS TUI

Cultor devotissimus,
ANDREAS WÄHLIN.



D. D.

§. I.



Principium vitale corporis humani, quod sanguine continetur, eo diligentius observare Medicos oportet, illiusque naturam & varias vicissitudines eo accuratius dignoscere, quo majori cum fiducia ac fructu mortalibus inservituri sint, si ista noverint. Nisi enim recte judicetur, in casu quovis obvio, de humanæ vitæ indice illa & conservatrice causa, gradus majores minoresve, quibus læsæ fuerint functiones vitales, naturales & animales, quæque inde metuantur machinæ universæ pericula, definire non licebit. Hinc in Diagnosticis & Prognosticis vix ulla excellentior & magis necessaria doctrina, quam quæ sanguinis, e corde naturaliter exundantis, intervalla, hoc est, *Pulsus* attingit.

Etenim Medicus, siquidem morbo unicuique fortiter iturus sit obviam, in hujus pervestiganda indole studiose advertet animum ad omnia, quæ sub ipso morbo inciderint, phænomena sibi invicem succedentia, & quo potissi-

A

potissi-

potissimum tempore existant, indagabit; contuebitur quoque molimina, quibus niti soleat natura ipsa, ut se malo liberet. Tum quod maximi momenti erit, ex singulis, quæ accidere ægroto senserit, colliget omnino & præcipiet morbi exitum, ut quantum quidem licuerit, intelligat, utrum medelam admiserit morbus, an in alium, aut mortem quin desinat, impediri omnino non possit.

Quis autem hæc eruet satis & pervidebit, nisi indicia essentialia & symptomatica tum cetera, tum quæ *Pulsu* offeruntur, agnoverit recte & examinaverit? Immo vero e sanguine illiusque per humanum corpus distributione varia pendent secretiones omnes & pleræque excretiones; sanguinis post habita ratione nemo pondus fluidorum recte æstimaverit, quod tamen sano in homine prævalere debere ponderi solidorum experimentis Keillii, Kockii, Gorteri, Geoffroi aliorumque dudum stabilitum est; universæ denique nutritionis cognitio, quæque inde ad tuendam sanitatem elicientur regulæ, ita fundantur iis, quæ de sanguine docet Medicina, ut in servanda valetudine haud minus juvaverit *Pulsuum* vices nosse, quam in restituenda, ubi afflicta fuerit. Itaque ut circumforaneorum turbam agyrtarum præteream, haud excusaverim levitatem quorundam Medicinam factitantium, qui ad ægrotorum lectos progressi, carpum quidem tangunt, at tam levi & festinanti digito, ut vix duos ictus expectent, hincque ubi nomen solum morbi audiverint, aut unum alterumque symptoma, quod ægrotus narraverit, statim sese ad præscribenda medicamenta conferunt. Hæc certe, si quæ alia, dissolutior properatio Medicum arguit ab sua arte nimis tenuiter instructum, quantumque adhuc absit a prudentia, quæ peritum atque plium deceat, certissime ostendit. Instituatur, fas est, in ægroto quovis obvio solertissimum examen indicantium, ex iis judicia formentur aut certa aut maxime saltem probabilia, eoque consilio

non in uno tantum carpo tangatur *pulsus*, sed in utroque, immo in temporibus etiam, ne vitium particulare declinat, ut adesse credatur vitium universi corporis; præsertim quum differre in utroque brachio *pulsus* possit, uti in Hemiplegia, in motibus spasmodicis vagis, inque Arthritide vaga observavit Frid. Hoffmannus, in Sauciatis Rajgerus, in aliis aliis; tangatur denique mora diuturniori, quum sæpenumero post decem demum vibrationes inæqualitas vel intermissio *pulsus* percipiatur. Scilicet rem haud levis esse operæ *pulsus* differentias rite detegere, & indicationes veras inde formare, evincit maxima ejus diversitas in ætate hominum varia, in sexu, in habitu corporis ad solida & fluida relato, hujusque universi temperamento; evincit discrepantia, quæ cernitur in diversis regionibus & anni tempestatibus, in motu corporis & quiete, in mutato victu, in vigilia & somno affectibusque animi; evincit denique morborum vix numeranda multitudo, quorum pro diversis temporibus & statu, diversum quoque fore *pulsum* necesse est. Enimvero quo plures rationes fuerint, ad quas in judicio ex indicio *pulsus* formando attendat Medicus, ne vitium subreptionis committat, & suis ægrotique votis excidat, eo utilius etiam erit & magis necessarium, quantum fieri unquam possit, accuratissime tenere, quidquid sentiendum *pulsus* exhibeat in sano primum, dein ægrotante pariter in corpore. Ego igitur, quandoquidem momentaneam quietem vibrationum, hoc est eam speciem *pulsus*, quæ uno ore apud Medicos *Intermittens* vocatur, pessimi omnis a plerisque haberi solitam, considerare tantum in præsentia cogitaverim, causas illius, quotquot esse possint, aut hucusque saltem Medicis innotuerint, quidque certi de illarum præsentia in Diagnosticiis, de periculis, quæ portendant, in Prognosticis, cum medela adversus singulas efficaci & propria, pro modulo virium exponam. Atque hoc quidem ut eo perfe-

quar distinctius & felicius, præmittam ea, sine quibus intelligi cetera non possint, principiorumque loco de sanguine quædam, motu ejus & inde oriundo *pulsu* dicam breviter, ut qui *intermittens* appellatur, hujusque causæ dein patere queant melius.

§. II.

In corporibus quia mutatio omnino nulla sine motu potest existere, ad principium quoque vitale humani corporis motus pertinebit, utpote cui excitando sustinendoque nervos omnes humanæ machinæ atque vires Supremus Auctor destinavit. Hinc ergo derivandum mechanismum physicum ad vitam humanam permultum conferre, non veritates modo docent Mechanicæ, Physicæ, Anatomicæ hisque nixæ Physiologicæ, sed & variatio, quæ externis a rebus, ubi his utimur ad tuendam vitam, oritur in œconomia universa functionum vitalium, naturalium & animalium, ipsaque firmat necessitas, qua cogimur alimentis refarcire quidquid mutua agitatio partium corpori veluti detraxerit. Est autem fluidorum, quæ per solidorum canaliculos motu transmittuntur in humano corpore, nobilissimum & latissime penetrans illud, quod *sanguinem* appellamus. Hic liquor homogeneus esse facile crederetur, nisi compositum constaret partibus maxime diversis, aqua, terra, oleo, sale & aëre non elastico, quæ partes singulæ ut misceantur & implicentur invicem actio viscerum, sal, calor & liquoris ipsius circumlati motus efficit. Vasa, quæ liquorem hunc rubicundum continent, duplicis sunt generis, *arteriæ* nempe atque *venæ*. In utrisque movetur, non vi modo cordis & arteriarum, sed & vi forte quadam propria, tum etiam actione partium adjacentium muscutorum, ut in venis, partim aëris, ut in pulmone. Namque sanguine refertum cor, vi sua eum protrudit in contigua sibi arteriosa vasa, ita quidem, ut sicubi sanguinis columna totam oppleverit arteriæ diametrum, stringatur

gatur cordis ventriculus. Et quia mox urgent & impellunt porro undæ sanguineæ protrusæ, tum in axi tum in perimetro arteriæ, hujus ad parietes nifus illarum verget. Impulsui cedunt illi, brevi licet, quum sint elastici, pristinum statum recuperaturi; nam quoties vis liquorem quemcumque movens superat vim qua resistunt vasa, toties vel frangi vel cedere debent horum parietes. Hæc arteriarum dilatatio, vel earum expansio ultra diametrum naturalem *pulsus* nuncupatur, nec esse potest nisi in arteriis, quippe in quibus solis parietes nunc expandi videamus, nunc rursus contrahi. Propelluntur autem, ob materiæ inertiam & causas reliquas, undæ illæ sanguineæ motu inæquali, ita ut majori impetu feratur columna sanguinis, quæ vim cordis nuper passa est, quam quæ remotior a corde discessit, & desinat tandem pulsus omnis, ubi eo usque pervenirent undæ sanguineæ, ut communicatam secum vim actione cordis fere amittant. Causam igitur *pulsus* primariam in corde ponimus, quumque nulla dilatatio fiat nisi prægressa contractione, immota statutum lege credamus, ut Systolen excipiat Diastole, vel amborum potius una adjuvet excitetque alteram, prout actionis & reactionis, per naturam universam corporum, mutua vis est & alternans opera. *Pulsus* species heic percensere supervacaneum foret, quum in Scriptis Medicorum tantum non omnium enumeratæ habeantur. Id unice caveamus, ne in speciebus constituendis nimii dilabamur in tricas, e quibus nullus ad postremum supersit exitus.

§. III.

Dum intra tempus, quo arteriæ dilatari solent naturaliter, nulla percipitur pulsatio, *intermissio pulsus* evenit, estque hæc vel major vel minor, prout causæ impeditæ circulationis sanguinis vel fortiores vel leviores fuerint. Ubi vero interceptus quiete pulsus existimabitur,

tur, necesse est, ut nec contrahantur arteriæ, nec dilatentur; nam si systole existeret, necessario etiam sequeretur diastole (§. II.), & quia *pulsus* oritur actione cordis & arteriarum, qua liquidum sanguineum circumducitur, causa quiescentis pulsus aut in vitio cordis & arteriarum, causarumve reliquarum motricium, aut in vitio sanguinis, considerati ut liquor, qui movebitur, invenietur. Contineat ergo

Prima Classis causas intermissionis pulsus, e vitio cordis repetendas, quod adest, ubi Systole ejus quadam ex causa impediatur.

1.) Cor, uti musculus, agendi vim suam debet *nervis*. Hi ergo simulac læsi vel tantillum fuerint, ad cor usque nævi contagionem propagabunt. Possunt autem illi 1.) vel paralytici evadere, vel tumore quodam premi, vel pathematibus affici, ita ut fluidum eorum subtilissimum eo momento, quo systole cordis perageretur, vel prorsus non, vel minus sufficienter in cor influat, hincque fiat, ut undam e ventriculo suo cor tanto impetu non propellat, quo arteriæ ultra diametrum naturalem expansio sequatur. Id evenit in animi affectibus, ejus deliquiis, palpitatione cordis, convulsionibus & morti propinquis, ubi cor singulis ictibus non valet expellere sanguinem cavis suis contentum. 2.) Spasmos quoque quam sæpissime excitant, qui & mirifice cordis motum turbatum reddunt, uti latius diducto malo per consensum partium in Hypochondriacis, Hystericis & reliquis Spasmo afflictis optime observatur.

2.) Remoram quoque liberi motus cordis objicit *concretio ejus cum pericardio*, ex defectu halitus, in interna pericardii & externa cordis superficie, per hiantia arteriolarum oscula, exudantis, ad frictionem faciliorem reddendam, & concretionem illam impediendam. Cujusmo-

di casus haud rari sunt apud Anatomicos. *Freind & Lowerus* in plurimis, qui intermittente pulsu laborarunt, hanc causam post mortem eorum invenerunt. *Peyerus* in *Parerg. Anat.* III. p. 198. & *Malpighius* de *Mort. Subit.* Libr. II. Obs. 4. in iis, qui post gravissimas oppressiones pectoris & palpitaciones cordis obierunt, pericardia cordibus affixa observarunt. *M:r Cheselden* in phthifico, *Lapeyronie* in hydrophobo & *Senac* in pleuritide mortuis, totum cor pericardio concretum viderunt, ut taceam, quæ hunc spectantia notarunt *Harttmannus*, *Hallerus* & plures alii. Neque dubito, quin hujusmodi concretioni tribuendum sit, quod inventum in cadaveribus cor destitutum pericardio, tot auctores scriptis retulerunt. De quibus & multis aliis observatu dignis legi merentur *Præclari illius & Indefessi Rei Anatomicæ Scrutatoris D:ni De SENAC* opera, sub titulo *Traité de la structure du Coeur* Tom. II. L. IV. C. 5.

3) Deminuitur facultas virium, ad cordis contractionem efficiendam, mobilitate hujus musculi in agendo imminuta, ex materia quadam ossea in substantiam ejus effusa. Illustrissimo *HALLERO* debemus doctrinam de modo, quo in osseam duritiem convertantur solida in corpore humano pulcerrime explicatam, quem modum & in *Act. Scient. R:æ Acad Stockh.* & aliis suis in scriptis plurimis experimentis anatomicis demonstravit, unde maxima quoque lux veritatibus Medicis affusa est, non sine insigni usu in praxi medica. Tales vero osseas & cartilaginosas concrectiones, ante eum etiam notarunt *Galenus*, *Wesalius*, *Riolanus* & multi alii. *M:r Cheselden* valvulas semilunares juxta aortæ exitum osseas factas vidit. In *Transact. Philos.* valvulas mitrales & tricuspidales ossium instar duras repertas fuisse legimus. *Smetius* auriculam dextram & *Marcus Aurelius* sinistram callosam vidit a).

Satis

a) cfr. *Senac. L. c. C. IX. p. 344.*

Satis autem patet, quam adversa esse debuit cordis motui ejusmodi durities in illis partibus, quæ motum adjuvabunt, quantaque necessitate secutura inde sit *Pulsus* intermissio.

4.) Cor, quamquam musculus robustis omnino fibris & firma compage constructus, vi tamen sanguinis impulsu, *expandi* potest ad spatium sæpe incredibile. Stupendas ejuscemodi expansiones *Willisius* post febrem pleuritidem, *Tauton* post peripneumoniam, *Tulpius* & *Martinus* in hydrope pectoris, observarunt. *Heurnius* etiam in libero XII annos nato cor, quam in bove majus, vidit *b*). At expanso ita cordi præter modum fatiscunt haud dubie vires, quibus sanguinem propellat more ordinario, hincque in causa erit, ut pulsus relentescat.

5.) *Aneurismatibus* haud raro cor afficitur, unde pariter intermissio pulsus, quum impedimentis, quæ attulerint aneurismata illa, removendis impares sint conatus cordis, cavumque adeo illius præter naturam dilatetur, sicque impediatur systole. Exempla hujus causæ in quiete pulsus momentanea adfert Illustrissimus *VAN SVIETEN* in Comment. Boerh. Tom. I. pag. 292. ut taceam *Ballonium*, *Cesalpinum*, *Malpighium* & reliquos.

6.) *Polypi cordis* ab omnibus fere anatomicis observati, falsa etiam sui specie nonnumquam eos fefellerunt. Verumtamen ubi reipsa adfuerint, ventriculos cordis insolentius distendant necesse est, motum illius liberum suppressant, pulsumque adeo intercludant. *Bartholinus* cor incredibili magnitudine ob inhærentem polypum vidit, auricula etiam dextra maxime dilatata, sinistra vero vix coryli nucis magnitudinem æquante. *Wesalius*, *Blancardus*, & plures de polypis insolita magnitudine inventis scripserunt, de quibus evolvatur *Senac* T. II. L. IV. C. 8. p. 405. c. f.

Succedit 7.) *Inflammati*o, quam in corde æque existere posse atque in visceribus aliis, multa exempla monstrant,

b) Senac L. c. C. VIII. p. 396. c. sequ.

strant, tumque maxime ubi inflammationes vicinarum partium præcesserint. *Cornelius Gemma* post febrem Hemitritæum & Pestilentialem in plurimis cadaveribus cor inflammatum & sphacelatum vidit. *Kerkringius* substantiam cordis nigram observavit c), ut linquam ceteros.

8.) *Tumores, Abscessus* variaque *Ulcerata* cordis motum ejus interdum & aliquantum retardare possunt. *Columbus* in Cardinale quodam *Cambara*, tumorem ovi magnitudine ventriculo sinistro inclusum vidit. Idem in alio cadavere abscessum totum cor ambiens invenit. *Mir Cheselden* aperuit puerum, in quo basis cordis exulcerata erat. *Casp. Baubinus* totum cor erosum vidit. Excrefcentis quoque carnis deformitatem in corde reperit *Lowerus* atque alii d). En! causas parvi illius voluminis, quod in multis cordibus observarunt *Malpighius* & *Riolanus*, & unius tantum ventriculi a *Roskinkio* in cadavere quodam inventi, ut etiam hirsutiei cordis, in *Actis Petro Burgens.* & *Tractatu de Cordibus villosis*; cui rei lucem pariter affundit exemplum id, quod attulit *Weitbrechtus*, ubi materia condensata cordis superficiei insidens villorum speciem præbebat e).

9.) *Lapides* in ventriculis cordis inventos motum ejus turbare, monstrat *Wierus*, qui tres lapides rubros in corde Imperatoris *MAXIMILIANI II.* vidit, postquam hic vivus gravissimis palpitationibus vexatus fuerat. Neque enim recte quispiam dubitaverit, quin hoc etiam in viscere calculi generari possint, quorum plura exempla inveniuntur apud *Scriptores* f).

10.) *Vermes* in ipso corde inventos multi *Anatomici* dictitant. Quod si ibi etiam nati fuerint, unde originem habuerint, difficile dictu erit. Attamen fieri non potest, quin suo pondere, morfu atque sordibus remoram cordi

B

illius

c) *Senac. L. c. C. VIII.* d) *idem L. c. C. VII.* e) *C. IX. pag. 423.* f) *C. IX. pag. 427.*

illius in functionibus objiciant. Inter alios illam cordis labem annotarunt *Riolanus* & *Zacutus Luzitanus*, qui casus a se viſos ea perſpicuitate & accuratione deſcripſerunt, ut fidem illis denegare neminem oporteat g).

11.) Cordis quoque liberum motum variè *pericardii affectiones* impediunt, exempli gratia, ſi oſſeum evaſerit, aut craſſum nimis atque pingve; ſi tumores, vermes & lapides in eo generentur; ſi læſiones, vulnera, inflammationes, hydrops *pericardii*, vel ſanguis in ſacculum hunc extravafaſus ingruerit h), de quibus omnibus eadem valet argumentatio, ac de morbis, quibus cor ipſum queat infeſtari.

Atque hæ cauſæ ſunt, quæ vi ſua aut reſiſtente, aut alio modo noxia, cor a motu ordinario exercendo detineant vel eum prorsus impedian, eoque ipſo efficiant, ut pulſus intermittat.

§. IV.

Ad Secundam Claſſem cauſarum, quibus debetur intermiſſio pulſus, refero vitia, quæ inſeſſe poſſunt arteriis.

Licet enim cauſam pulſus ex corde antea deduxerim, utpote, cujus intercepto motu ſubita pulſus ceſſatio contingit, exemplo eorum, qui Syncope afficiuntur; & licet actio cordis Syſtaltica impendatur expellendæ undæ ſanguineæ, quæ diametrum naturali majorem movebit; attamen ſunt quædam arteriarum affectiones, quæ hanc vim ſuſſaminant, ut interdum dilatatio non ſequatur. Huc ſpectat

1.) *Paralyticus arteriarum ſtatus*, quo elatiſcitate ſua ita privantur, ut diaſtolen tantummodo admittant, ex quo fit, ut deſiciente reciproca arteriarum contractione, cui debetur pulſus, hic intermiſſione ſuſpendatur.

2.) *Spasmodica arteriarum contractio*, quæ eodem

ac

g) *Senæ L. c. C. IX. pag. 437.* h) *C. V. & VI.*

ac de corde dictum, modo existit; hæc nimirum affectio, paralyfi opposita, parietes vasorum nimis constringendo, dilatationi eorum plane resistit.

3.) *Compressio externa arteriæ*, qua vis movens impeditur, quo minus eo in loco, ubi compressa est arteria, diastolen excitet, sine qua quiescet pulsus.

4.) *Durities in tunicas arteriarum inducta*, a stagnante liquido illis in vasis, per quæ ei exitus denegatur, hinc minus flectuntur latera, sicque non cedunt motui, sed diametrum eandem internæ superficiei vasis conservant, uti in *inflammationibus* earum evenit.

5.) *Durities tunicarum arteriæ inducta ex effusa in eas succo osseo*, unde latera ejus flexioni ad diastolen necessariae resistunt, quietemque *pulsus* inferunt. Succus hic osseus effunditur in iteriorem arteriarum cellulosam, uti anatomicæ sectiones Halleri testantur.

6.) *Aneurisma verum*, quod provenit vel a tenuitate cicatricis vulneratæ arteriæ, impetum cruoris non sustinentis, vel ex læsis exterioribus arteriæ tunicis, salva manente interiori, quæ impetu cordis dilatatur, & sacculum format. Arteria itaque illo in loco non amplius manet æquabilis conicus canalis, sed in sacculum extenditur, qui in ingentem sæpe molem augetur, uti observata Medicorum de ingentis & stupendæ molis aneurismatibus in cadaveribus inventis nos ceteriores faciunt i),

7.) *Concretio in arteriis polyposa*, cujus præsentiam tantum non omnes sectiones Anatomicæ in subjectis ætate provectionibus institutæ detexerunt. Nempe efficiunt polypi intermissionem *pulsus*, retardando liquidi movendi copiam, quæ sufficiens esset justæ arteriarum dilatationi.

B 2

§. V.

i) Cfr. *Comment. Halleri in Bærb. Instit. Medic.*
T. IV. p. m. 215.

§. V.

**Tertia Classis Caussarum intermissionis pulsus,
in ipso sanguine quaerenda est.**

Sanitas, quam optimo jure in expedito fluidorum per vasa transitu collocaverimus, eam sanguinis naturam requirit, ut non tantum justa proportio adlit inter elementa sanguinis, sed etiam ut attractio ea vigeat, qua tum nimia dispositio ad concrefcentiam, tum justo minor nitus ad contactum impediatur. Si itaque mutatio quædam in sanguine accidat, qua pulsus intermissio contingeret, ea sanguinem motui ineptum, nec actioni cordis & articularum obsecundantem indicaret. Quocirca caussarum, quibus intermittatur pulsus, ubi peccat sanguis.

1.) Erit *visciditas* in corporibus cacochymia pituitosa laborantibus, quæ obicem actioni cordis ponit.

2.) *Diatheſis sanguinis phlogistica*, in febribus acutis, inflammatoriis, dum sola tenuiora trajiciuntur, reliqua vero immobilia ad extremitates arteriarum hærent, unde non potest non quies momentanea pulsus interdum existere. Ejusmodi noxa sanguinis ex densitate in vera Phrenitide evenit, ubi sanguis per arterias vertebrales allatus ultra non pellendus subsistit ad fines vasorum, donec liquidissimis tandem per canales laterales expressis, crassioribus vero accumulatis, repletis & obstructis fere omnibus corticis cerebri vasis, immedicabile reddatur malum.

3.) *Nimia sanguinis copia* distentionem noxiam inferens summe plethoricis, ut latera arteriarum veluti obruantur; is enim effectus nimiae distentionis est, ut vasa supra modum dilatando, sicque eorum robur tollendo paralytica faciat, ita ut vires quibus contraherentur, superare non valeant obstaculorum vehementiam.

4.) *Defectus sanguinis*, cordis atria ita non implentis, ut stimuletur cor ad systolen perfectam; exemplo est motus

tus sanguinis in deliquiis & copiosioribus hæmorrhagiis, observatur quoque optime, ubi magna evacuatio per phlebotomiam instituenda est; ultimus videlicet limes ille, ad quem extendere venæ sectionem Medicis licuerit.

§. VI.

Absoluta consideratione causarum, quibus accidit, ut intermittatur pulsus, sequitur *Diagnosis*, facillima, si quidem pulsum ipsum intermittentem spectemus, quippe qui tactu mox sentitur, ubi arteria sive alio tempore, digitum non ferit. In singulis vero dignoscendis causis majori opus est sollertia, nec putaverim Medicos vel experientissimos adeo felices in praxi fore, ut in casu quocunque obvio heic inveniant quidquid quæsierint. Signa enim ex quibus cognoscantur causæ illæ, tam varia sunt & plerisque morbis cor afficientibus tam communia, ut ex iis nihil certi ad hujus vel illius causæ detegendam præsentiam colligere possimus. Meo igitur proposito sufficiet forte, si præcipuarum signa causarum pathognomonica attulero.

Aneurisma verum adesse in corpore intelligimus, si illius causa aliqua, uti punctura, sectio, tusio, distractio, erosio locum eum affecerit, ubi magna arteria adest, si tumor leni pressione evanescit, vel plurimum minuitur, & ablata pressione, mox in pristinam magnitudinem redit; si pulsus manifestus in tumore percipitur, sique malum ita diu duravit, ut alia tumoris causa cogitari non possit. Probabilis etiam suspicio aneurismatis in interioribus latentis oritur, ex cognitis prægressis causis supra nominatis, si in loco, quem earum causarum aliqua vexaverat, insolita pulsatio percipitur ab ægroto, si cordis motus semper observatur turbatus, & aucta sanguinis velocitate suffocatur fore, sique deprehenderimus in aneurismatica affectione cordis semper prægressam fuisse nimii humo-

humoris præsentiam cava ejus obruentis. Notatu etiam dignum est, quod Fabr. Hildanus narrat, gangrænam extremitates semper occupasse, quoties cor vel majora vasa maxime fuissent dilatata k).

Polypi sese manifestant palpitatione cordis, anxietate intolerabili, anhelatione, subito omnium virium deliquio, a minimo motu maxime adauctis, respiratione difficili, præcipue si in pulmonem vasis hærent; dignoscuntur etiam ex causis prægressis, ut copia ingesti spirituosii vel acidi mineralis, sangvinem coagulantis, nimio frigore, visciditate sanguinis, cum debilitate solidorum, & denique ex prægressa graviore hæmorrhagia, unde sanguis tarde moveri cœperit & concreescere, ut taceam reliquas. Juxta vero cavendum, ne anxietates, quæ una vel altera hora a pastu ingruunt, a polypis oriri credamus; hæ enim ex tenaci & copioso chylo, quo debilis pulmo gravatur originem ducunt, dum contra anxietates & oppressiones pectoris in iis frequentiores sunt, qui polypis laborant, & alio etiam tempore, quam post sumtum cibum, corpus vexant, præcipue si motu vel levissimo agitata illud fuerit. Anxietas, quæ in morbis acutis observatur, pro symptomate ex polypo orto non habenda, siquidem primo potius vitium incipientis obstructionis in pulmone indicat, uti ex respiratione veloci & laboriosa patet. Ejusmodi anxietas criseos etiam sæpe prænuntiata est, & cum pulsu intermittente conjuncta.

Pulsus intermissionem provenisse a nervorum affectione arguit præsentia indiciorum, quæ hanc produnt in subjectis facile mobilibus & systematis nervi debilitate laborantibus, uti in ætate quæ juvenilem antecedit, in sexu sequiori, hystericis, hypochondriacis, timidis, animi deliquio interdum laborantibus, & iis in morbis ubi debilitas nervorum inordinato eorum motui juncta est.

Ubi

k) Cfr. Senac L. c. C. VIII. p. 416.

Ubi caussa intermissionis pulsus orta fuit *ab ossea quadam duritie* cordis vel arteriarum, aut harum callis nœvisque aliis, examinentur indicia ex ætate, victu corporis prægresso & habitu solidorum & fluidorum.

Inflammationem cordis vel arteriarum causam quietis pulsus momentaneæ esse, monstrant durities pulsus, vehementior agitatio sanguinis, & præsentia causarum, quæ inflammationem necessario inducunt.

§. VII.

In iudicio rite ferendo de periculis ex quiete pulsus momentanea timendis horumque exitu, ad discrepantium causarum in diversis ætatibus & subjectis respiciendum est. Nam qui lipothymia quidem, palpitationibus cordis & anhelatione difficili laborant, subitum interitum haud effugient, quem accelerabit quoque cordis polypus, præcipiti impetu & inopina suffocatione enecans. Æque vero extimescenda non est pulsus intermissio, si obvenerit sine adjuncta graviore læsione functionum vitalium, ut in pueris, feminis præcipue hystericis, & hypochondriacis, & in concretione cordis cum pericardio, etiamsi ex hac ultima caussa, post graves pectoris oppressiones & cordis palpitationes fuerunt, qui perierint *l)*. Contra grave periculum imminet, si intermittat pulsus in statu morborum, qui debentur polypis in plethoricis, & aneurismati cordis aut arteriarum earumque dilatationi.

Qui pulsus intermissionem ab *aneurismate* patiuntur, illi vel subitaneo interitu jugulantur, vel hectica tæbe consumuntur; liquidum enim in sacco aneurismatico inter polyposas concretiones hærens, acre fit, & reliquos humores inficit, quare etiam *Ruyfchius* sterni os & omnes fere costas aneurismate destructas observavit. *Lommius m)* te-

statur

l) Malpigh. de mort. subit. Libr. II. obs. 4. *Peyerus* in *Parerg. anat.* III. p. 198. *m)* *Obs. medic.* p. 307.

statutur intermissionem quo diutius duraverit, eo periculo-
sorem fuisse, & sicubi vel duæ modo pulsationes tempore
sveto expectandæ abfuerint, mortem portendi, nisi ali-
cui forte tam lentus pulsus naturalis fuerit. Est tamen in
senibus, longa febre vel anhelatione affectis, itemque a-
lias in pueris ab eo observatum, post intermissionem pul-
sus vitam mansisse, quod nulli contigisse juvenum credi-
derimus *n*). *Prosp. Alpinus* *o*) refert se vidisse juvenem
pleuriticam, in qua usque ad diem quintum pulsus eo modo
quieverit, ut primo die post singulas septem aut decem pulsa-
tiones quieverit spatio unius, secundo die post singulas sex aut
quatuor, tertio post singulas tres, & quarto post singulas binas,
ita ut immobilis multo intervallo arteria maneret, pulsusque
subsequentes langvidi exilesque essent, quod certissimum
alias instantis mortis præbet indicium, & nihilo minus
tamen, excreta tantum per urinam massa crassa & pitui-
tosa, ex morbo eam convaluisse. Omnimoda vero quies
pulsus, quam *ἀσφυξία* dixerunt Græci, referente etiam
Lommio l. c. non fida minus, quam truculenta mortis in-
dex est, quippe quæ morituris fere omnibus sub finem vi-
tæ accidit, quibusdam, breviori ante eum temporis inter-
vallo, nonnullis, quod mirum videatur, pluribus etiam
ante ultimum diebus. Ceterum & levioris mali præsagam
interdum fuisse intermissionem pulsus, ac sine damno gra-
viori transiisse multa exempla monstrant. *Riverius* eam a
lumbrico illatam observavit *p*), & a polypo, non duran-
tem modo diu sed & sæpius recurrentem, superstiti lon-
gius vita *q*). *Kerkringius* eam sine funesto eventu se vi-
disse testatur *r*).

Pechlinus confirmat eandem contigisse flatuum ex-
surgentium copia, quæ mirifice cor constrinxit, unde in-
tercepta fuit systole cordis, evadabat tamen sine omni pe-
riculo,

*u) Galenus Lib. II. de Præfag. ex pulsibus. o) De Præ-
sagienda vita & morte ægrotant. p. 240. p) Cent. III. obs. 3.
q) Cent. II. obs. 77. r) In Specileg. obs. 78.*

riculo, statim ac copiosi ructus exirent s). Idem testatur se intermissionem pulsus in scorbuticis, in feminis junioribus male menstruatis, puerperis & nutricibus sine ullo majori incommodo annotasse t).

§. VIII.

Licet intermissio pulsus sola considerata, morbum non efficiat, attamen quum causas agnoscat, quæ si diutius affligerint, non possint non periculum minari, haud inutile fuerit, detectis ex diagnosi allata causis explicare, quo pacto mature summoveantur aut minuantur saltem, quum Medica Scientia plus sæpe haud valeat, quam ut mali incrementum differat aliquatenus, & tolerabilem forte morbum reddat miseris.

Si malum a *polypis*, ostia vasorum obturantibus, proveniat, in eo opera collocanda, ut sanguis reddatur ab omni concretionem alienus, quo tritu continuo præterlabentis sanguinis deterantur sensim; conveniunt itaque salia lixiviosa & neutra, volatilia & spirituosa prudenter propinata, liquor diluens, copiose haustus, ut etiam stimulantia aromaticæ. Phlebotomia illis corporibus est necessaria, in quibus major adsit humorum copia; quies illis etiam accommodata est, observata enim docuerunt polypum, e loco dimotum, inopinato suffocasse. In votis est, ut inveniretur Medicamen; quod virtute polypos ejuscemodi solvendi instructum esset! Nec est, quod desperemus, quum ea, quibus summa insit solvendi virtus, magna quoque non semper acrimonia nocere queant. Mel, fructuum horæorum succi, densitatem sanguinis solvunt. Sapo venetus, borax, sal ammoniacum, sales volat. oleosi &c. visciditatem attenuant. Lentorem lymphæ in siphiliticis affectibus, variolis, febre pestilentiali & petechiali mobilem reddunt Calomelas & Camphora u). Iners ovi cocti albumen

C

solvit

s) *Lib. II. obs. 8.* t) *Lib. II. obs. 7. p. 214.* u) *Cfr. Schreïber de Pestilentia p. 52.*

solvit myrrham, & oleum fluidam facit ceram, adeoque inveniri posse etiam iners remedium polypos soluturum dies futura monstrabit, ad quod invenendum incitat maxima utilitas in scientiam & mortales inde redundatura.

In pulsum intermissione ex *abundantia sanguinis & aneurismate cordis vel arteriarum*, sanguinis detractio, potus tenuissimus, serum lactis, hydrogala mellita, cibis blandus tenuis, repetitis vicibus parva quantitate sumtus, ut parum chyli sanguini misceatur, & humorum dilutorum per vasa lubricata expeditus fiat transitus. Mentis & corporis quies necessaria est, quo componatur eo modo vivendi genus ut, ne fiat major motus cordis, quam qui ad vitam continuandam sit necessarius; hinc omnia stimulantia maxime sunt aliena. *Aneurismati* in arteriis externis hærenti medebimur juvando tunicarum infirmitatem pressione externa, quæ protrahenda, donec robur sufficiens adquirant, ad sustinendum impetum undarum sanguinearum; sed hoc tentandum in recenti aneurismate.

Si inflammatio cordis aut tunicarum in arteriis quietem pulsui induxerit, medela inflammationibus convenienti, obveniendum, ut sanguis immobilis hærens recipiat diametrum, canali minorem, sicque inflammatio solvatur.

Pulsus intermissio, quæ debetur *osseis & callosis arteriis aut cordi, concretove cordi cum pericardio*, medelam omnem respuit, sola relicta diligentia, qua mitigentur mala, ex tam gravibus causis profluentia.

Hæc sunt C. L. quæ circa doctrinam arduam non minus quam necessariam proferre potui. Multa addi, multa curatius exponi debuisse fateor. Benigniores tamen censuram eo certius mihi polliceor, quod voluntate magis, quam viribus conantis, innoxia ausa æquitas metiri soleat.

S. D. G.

